

DE MUTINO TITINO

Priapi cultus cum exeunte IV. a. Chr. n. saeculo e patria Hellespontica alio transferretur atque brevi tempore per totum orbem Graecum pervagaretur, in multas regiones pervenit, ubi iam pridem similes dei ithyphallici colebantur. Qui novo deo auctoritate pares adeo non erant, ut sacra eorum tempore procedente aut omnino desererentur aut cum illo quasi communicarentur, cum homines a deo Lampsaceno eos iam non discernere atque unum quem credebant deum uno nomine Priapi appellarent; veterum igitur deorum nomina aut prorsus interierunt aut cognominum loco permanserunt. Quam varia autem sorte nonnulli quos Attici venerabantur huius farinae dei usi essent, nuper in dissertatione mea exposui (de dis Atticis Priapi similibus, Bonnae 1926)¹⁾; nunc quid apud Italos Priapus effecerit consideremus.

Atque tempore satis antiquo hic deus in Italiam migravit. Afranius quidem togatarum scriptor prologum eum induxit atque de origine sua ita fecit iocantem (v. 403 s.), ut Romanis eum tunc haudquaquam ignotum fuisse conicias. Buechelerus igitur, *Kl. Schriften* I p. 328 (*Mus. Rhen.* XVIII 1863 p. 381), postquam Asia provincia Romanorum facta esset, Lampsaco eum Romam translatum esse censuit. Atqui illa aetate deus ‚Hellespontiacus‘ patriae finibus sese iam pridem adeo non continebat, ut non minus facile ex aliis regionibus cultus eius Romanis afferri potuisse videatur. Et iam antequam regnum Pergamenorum in ius atque dicionem Romanorum concessit, Priapus in Italia notus fuit: in huius rei testimonium afferat quispiam artis quaedam monumenta ad Graecorum exemplum facta, imprimis vascula Calena in officina K. Atilii III. sive II. saeculo fabricata, in quibus Panem et Amorem Venere inspectante luctari videmus prope

¹⁾ De Tychone cf. nunc C. Jullian, *Rev. étud. anc.* XXIX 1927 p. 170 ss. (et p. 93 s.).

hermam Priapi in rupe constitutum¹⁾; illis ipsis autem temporibus Priapum non modo ab artificibus fictum, sed etiam rite ut postea cultum esse versiculi testantur satis memorabiles nuper prope Catinam oppidum in Sicilia inventi, quos III. fere (vel II.) saeculo Rubrius quidam Samius vel potius filius eius ut patris vota solveret utraque lingua hermae Priapi bifrontis custodis hortuli subscribendos curavit²⁾. Unde autem iam illa aetate cultum Priapi in Italiam translatum esse putabimus? Ecquis dubitabit, quin inde potissimum venerit, ubi maxime floruerit — Alexandriam dico cultus eius quasi metropolim, quae quantum habuerit apud Romanos auctoritatis quis est qui nesciat? In hac autem urbe Ptolemaeus Philopator, ut erat Bacchi cultor paene fanaticus³⁾, ita Priapum filium eius, quem saepe una cum illo cultum esse constat, maiorum exemplo (Callix. ap. Ath. V p. 201 C/D) non neglexerat: testis Euphronius grammaticus idemque

¹⁾ Huius imaginis complura exstant exempla: R. Pagenstecher, *Die calenische Reliefkeramik*, Berol. 1909 p. 57 nr. 62 tab. 10. Arch. Jahrb. XXVII 1912 p. 151 s. nr. 62. A. Minto, *Boll. d'Arte VI* 1912 p. 215. Exemplum Bonnense (quod a F. Leone museo provinciali donatum inde in museum academicum translatum est, inv. nr. 869) Paesti inventum K. Atilii nomine signatum est. Hoc potissimum exemplum inspicienti dubium esse non potest, quin Priapi sit herma ille in rupe constitutus, non Panis, id quod ipse Leo, *Bull. dell'Inst.* 1874 p. 89, alique crediderunt; Priapum primus Pagenstecher agnovit, postea tamen Minto l. c. rursus hermam Pani assignavit, Amoris autem adversarium phallum enormem avis pedibus incedentem esse praedicavit. De argumento huius imaginis cf. O. Bie, *Arch. Jahrb. IV* 1889 p. 129 ss. K. Wernicke ap. Rosch. s. v. Pan col. 1457 s. M. Bulard, *Rev. étud. anc. XXVI* 1924 p. 208 ss. — In altera imagine Priapi hermam sub arbore astantem videmus Satyro vinum ex amphora in cratera transfundenti; exemplis a Pagenstechero collectis (*Reliefkeramik* p. 37 nr. 25 tab. 7 et fig. 14) adde exemplum Matritense: G. Leroux, *Vases grecs et italo-grecs du mus. arch. de Madrid*, 1912 p. 318 nr. 635.

²⁾ V. Casagrandi, *Archivio storico per la Sicilia orientale XVIII* 1921 p. 185 ss. G. Libertini, *Not. Scavi* 1922 p. 493 ss. R. Sabbadini (et C. O. Zuretti), *Boll. fil. class. XXX* 1923 p. 19 s. W. Croenert in *Hondii Suppl. Epigr. II* 1925 p. 95 s. nr. 533. Fr. Ribezzo, *Riv. Indo-greco-ital. IX* 1925 p. 65 s. F. C. Wick, *Athenaeum N. S. IV* 1926 p. 167 ss. (*PhW* 1927 col. 93).

³⁾ Cf. imprimis decretum eius *Ägypt. Urk. Berlin VI* nr. 1211. A. Meineke, *Anal. Alex.* p. 341 ss. O. Crusius, *Phil.* 1903 p. 128. P. Perdrizet, *Bull. Soc. arch. d'Alexandrie XII* 1910 p. 53 ss. *Rev. étud. anc. XII* 1910 p. 217 ss. W. Schubart, *Arch. f. Pap.* V 1913 p. 89 s. *Ägypten*, Berol. 1922 p. 85. 88 s. Cf. p. 420 n. 2.

poeta, qui illo regnante plenum volumen carminum ‚Priapeorum‘ confecit¹⁾. Iam vero ardentissimum illud Bacchicae religionis studium, quo Aegyptii tunc tenebantur, mox non minus apud Italos viguisse inter omnes constat: rectissime igitur R. Reitzenstein aliique²⁾ ex Aegypto venisse coniecerunt, qui Italis Bacchanalia attulerunt; cum Bacchanalibus autem quin Priapi cultum attulerint non dubito³⁾, et aliis imaginibus et illis picturis clarissimis atque pulcherrimis quae in villa ab Aurelio Item prope Pompeios effossa repertae sunt, quarum inter argumenta ad Bacchi religionem pertinentia etiam sacrificium porculi est, quem Priapi hermae Satyrus et Amor immolaturi sunt⁴⁾. Tamen per longum tempus Priapus haud ita magnae auctoritatis fuisse videtur; clariore loco Augusti demum aetate haberi coeptus est, cum poetarum non minus quam artificum studiis florebat. Quem autem locum in Romanorum religione obtinere potuit? Hortorum quidem tutelam, quam prius Veneri mandatam fuisse scimus⁵⁾, postea ad Priapum detulerunt (cf. titulum Rubrii; Fur. Bibac. fr. 1 Morel; al.); terrae fecunditatem ut Priapo ita multis omni tempore numinibus debebant, a quibus ille ea re differebat, quod propriam sibi habebat phalli erecti enormitatem. Attamen unus fuit apud Romanos deus eodem signo conspicuus, Mutinus Titinus⁶⁾: oritur

¹⁾ Cf. Christ-Schmid II 1^o p. 150. Wilamowitz, Herm. XXXIV 1899 p. 635. Griech. Verskunst p. 128. 252 s. n. 2. Hellenist. Dichtung I p. 167 n. 1. 221.

²⁾ R. Reitzenstein, Arch. f. Religionswiss. XIX 1916/9 p. 191 ss. Die hellenistischen Mysterienreligionen³ p. 101 ss. Wilamowitz, Platon II p. 85. U. Wilcken, Arch. f. Pap. VI 1920 p. 413 s. C. Cichorius, Römische Studien p. 21 ss. A. D. Nock, Class. Rev. XXXVIII 1924 p. 105 s.

³⁾ Eandem coniecturam in transitu proposuit A. Maggi in Priapeorum editione (Neap. 1923) p. XIV. Ceterum iam ante Philopatoris tempora Priapum in notitiam Italarum hic illic venire potuisse quis praefracte negare audeat?

⁴⁾ G. de Petra, Not. Scavi 1910 p. 143 tab. XI. S. Reinach, Répert. de peintures p. 237 fig. 5. H. Lechat, Rev. étud. anc. XIX 1917 p. 173. D. Comparetti, Le nozze di Bacco ed Arianna, Flor. [1921] p. 48.

⁵⁾ Cf. Buecheler l. c. G. Wissowa, Religion und Kultus der Römer² p. 289 n. 1 et 5.

⁶⁾ Discedo enim a Fascino ‚deo‘ incertae memoriae (Plin. n. l. XXVIII 39; cf. Kuhnert ap. PW s. v. fascinum col. 2012. Wissowa, Rel.² p. 243 n. 6. Diss. meae p. 47). In Liberi sacris Lavinii alibique antiquitus phallum cultum esse Varro tradidit (ant. div. XVI fr. 42

igitur quaestio, quaenam huic deo cum deo advena necessitudo intercesserit. Hanc autem quaestionem ut discernamus, ipsius Mutini Titini vim ac naturam perspiciamus oportet; testimonia satis pauca atque exilia hoc loco appono¹⁾:

1. Lucil. 78 M.:

Nam quid moetino subrectoque huic opus signo²⁾?

2. Varro ant. div. XIV fr. 59 Agahd (p. 176):

a) Tertull. ad nat. II 11 extr.: si de nuptialibus disseram, Afferenda est ab afferendis dotibus. ordinati — pro pudor! — et Mutunus et Tutunus et dea Pertunda et Subigus et Prema mater.

Cf. apol. 25, 3: Sterculus et Mutunus et Larentina pro-
vexit imperium.

b) Arnob. IV 7: Tutunus, cuius immanibus pudendis horrentique fascino vestras inequitare matronas et auspicabile ducitis et optatis.

Cf. IV 11: et quia non supplices Mutuno procumbimus atque Tutuno, ad interitum res lapsas atque ipsum dicitis mundum leges suas et constituta mutasse?

Mutuno *Gelenius* (hoc ẽ uno *P*) Tutuno *Sabaeus* (est ut uno *P*).

c) Lactant. div. inst. I 20, 36: Tutinus, in cuius sinu pudendo nubentes praesident, ut illarum pudicitiam prior deus delibasse videatur.

d) Augustin. civ. dei VI 9: Adest enim (sc. in cubiculo) dea Virginiensis et deus pater Subigus et dea mater Prema et dea Pertunda et Venus et Priapus. . . . Sed quid hoc dicam, cum ibi sit et Priapus nimius masculus, super cuius immanissimum et turpissimum fascinum sedere nova nupta iubebatur more honestissimo et religiosissimo matronarum?

Cf. VII 24: in celebratione nuptiarum super Priapi scapum nova nupta sedere iubebatur.

Agahd; cf. Wissowa, Rel.² p. 299. W. Schur ap. PW s. v. Liber pater col. 69), quapropter ipsum olim phallum fuisse L. Deubner ap. Chantepie de la Saussaye, Lehrbuch der Religionsgeschichte⁴ II p. 440, coniecit.

¹⁾ De Mutino Titino cf. Preller-Jordan, Röm. Myth.³ II p. 218 s. R. Peter ap. Rosch. s. v. Indigitamenta col. 204 ss. Wissowa, Rel.² p. 243 s. O. Weinreich ap. Rosch. s. v. Tutunus.

²⁾ De hoc versu cf. quae Marxius docuit in commentario et prolegg. p. XLIII ss. Dei nomine Lucilius metonymice fascinum dicit (a Scaevola in anulo vel alibi gestatum), cf. diss. meae p. 56. Sed cf. etiam p. 424 n. 2.

IV 34: sine dea Rumina suxerunt (sc. Iudaei), sine Cunnina in cunis fuerunt, sine Educa et Potina escam potumque sumpserunt, sine tot diis puerilibus educati sunt, sine diis coniugalibus coniugati, sine cultu Priapi coniugibus mixti.

e) Augustin. civ. dei IV 11: Mutunus vel Tutunus, qui est apud Graecos Priapus.

3. Varronem Mutunum inter deos a Romulo constitutos (Augustin. civ. dei IV 23) enumerasse Agahd p. 157 s. (ant. div. I fr. 39) coniecit, quod Festus [test. 4] Mutini sacellum ab urbe condita ad principatum Augusti mansisse testatur, tum quod Augustinus eum ante Cloacinam enumerat, quae ad Tatium referenda est (vd. fr. 40)'. .

a) Augustin. civ. dei IV 23: an forte iuste est indignata Felicitas, quod et tam sero et non ad honorem, sed ad contumeliam potius invitata est, ut cum ea coleretur Priapus et Cloacina et Pavor et Pallor et Febris et cetera non numina colendorum, sed crimina colentium?

b) Augustin. civ. dei II 14: Sed eum (sc. Platonem) tamen, quando quidem ipsi volunt fuisse semideum, praefendum esse censemus si non Romulo et Herculi, certe vel Priapo vel alicui Cynocephalo, postremo vel Febri, quae Romani numina partim peregrina receperunt, partim sua propria sacraverunt.

4. Fest. p. 142 L. (154 M.) s. v. Mutini Titini sacellum fuit in Veliis, adversum † mutum Mustellinum in angi<portu>, de quo aris sublatis balnearia sunt <f>acta domus Cn. D<omitii> Calvini, cum mansisset ab urbe condita <ad pri>ncipatum Augusti et sancte cultum manifestum est, <s>extum et vicensimum dextra v<ia> <diver>ticulum 0 ubi et colitur et in e- ula .

Paul. p. 143 L. (155 M.) s. v. Mutini Titini sacellum Romae fuit. cui mulieres velatae togis praetextatis solebant sacrificare.

Cf. Gualth. Rowoldt, Librorum pontificiorum Romanorum de caerimoniis sacrificiorum reliquiae, diss. Hal. 1906 p. 89 s. fr. 157. L. 6-11 supplementa a Scaligero, Ursino, Muellero proposita, cum parum certa gravibusque dubitationibus obnoxia sint (cf. Peter l. c.

col. 206. Jordan, *Topographie* I 2 p. 419 n. 134. Wissowa, *Rel.*² p. 243 n. 4), novissimi editoris exemplo adhibere nolo; cf. p. 432.

Commemorasse hoc loco satis habeo autoschediasma gloss. Salomonis (ed. August. Hain 14134. Voullième Berol. 100, cf. *CGIL* I p. 167 ss.), quod Goetz laudat in *Thes. gloss. emend.* s. v. *tutulus*: *Tutulus sacerdos minorum deorum ut priapus* (h. e. *Tutunus* Goetz; ex *Fulgent. expos. serm. ant.* 14: *Varro in pontificalibus ait titulos sacerdotes dici brevium deorum*, cf. *schol. ad Attonis polipt.* p. 43 nr. 77 ed. Goetz).

Haec testimonia perlegenti satis apparet Mutinum Titinum phallicum fuisse deum antiquissimum, siquidem 'ab urbe condita' colebatur, humanique generis fecunditati prospexisse: ante nuptias quidem virgines, priusquam togam praetextam deponerent¹⁾, huic deo in sacello in Veliis sito sacrificabant; inter ipsas autem nuptiarum caerimonias, ut fecundae fierent simulque a malorum numinum impetu immunes²⁾, dei phallum experiebantur³⁾, quem ritum immanem tempore cultuque procedente mitigatum esse ac postremo prorsus intercidisse tuo iure conicias; omnino denique in coniugiis opem eius valuisse consentaneum est. His autem officiis Mutinus utrum sese continuerit an omnibus animalibus atque ipsi terrae fecunditatem dederit, testimoniis destituti discernere iam non possumus. Reliquum tamen nominum testimonium, quo accuratorem notitiam eius consequamur. Variant sane formae, quae traduntur: atque prioris quidem nominis antiquissima forma haud dubium quin apud Lucilium exstet, quippe qui veterem diphthongum, quamquam ea iam ante illam aetatem ex consuetudine sermonis evanuerat atque huic poetae ipsi in usu non erat, tamen in hoc nomine ut sacro servaverit. Hanc vero scripturam antiquam non permansisse Varro et Festus auctores sunt, qui ex recentiore pronuntiandi consuetudine vocalem u scripserunt. De mediae autem syllabae vocali atque alterius nominis omni forma iudicium haud ita

¹⁾ Cf. Wissowa, *Rel.*² p. 243 n. 4. E. Samter, *Geburt, Hochzeit und Tod*, Lips. 1911 p. 92 n. 3. Weinreich l. c.

²⁾ Cf. A. Rossbach, *Untersuchungen über die römische Ehe*, Stuttg. 1853 p. 369 ss. M. P. Nilsson, *Griech. Feste* p. 366 s. E. Fehrle, *Die kultische Keuschheit*, *RGVV* VI 1910 p. 42. Weinreich l. c. H. J. Rose, *The Roman Questions of Plutarch*, Oxon. 1924 p. 84 s. 88.

³⁾ Hic ritus, quem tantopere scriptores ecclesiastici indignantur, quo tempore inter nuptias perpetratus sit, non constat (cf. H. Blümner, *Röm. Privataltertümer* p. 361 n. 3); videtur autem in thalamo non minus quam in sacello ipso fieri potuisse.

promptum videtur, cum Festum ‚Mutinus Titinus‘ scripsisse certum sit, Varro utrum ‚Mutinus‘ ‚Tutinus‘ an ‚Mutunus Tutunus‘ scripsisse videatur, inter Lactantii auctoritatem et ceterorum patrum ecclesiae dubii haereamus. Praepropere quidem Agahd (ad Varr. ant. div. XIV fr. 59 p. 176 adn.) maiori numero accessit ‚Mutunum Tutunum‘ apud Varronem fuisse ratus; equidem a Varrone utramque scripturam prolatam esse aut certe in libris iam satis antiquis temporibus formas variasse censeo. Sed ut in prius nomen priore loco inquiramus, formam quae est ‚Mutinus‘ antiquiorem esse vel Lucilii et Festi consensu probatur; accedit, ut eodem suffixo (inus) aliorum deorum ‚minutorum‘ nomina haud pauca formata esse inveniamus, quae F. Stolz, Arch. f. lat. Lex. X 1898 p. 167 ss., collegit (cf. Usener, Götternamen p. 8). Radicem autem ‚mut‘ eandem esse quam in vocabulo ‚muto‘ (‚mutonium‘) dudum constat¹⁾; Mutinus igitur intellegi poterat quasi ‚mutoniatus‘ (cf. p. 425 n. 2) deus magno mutone instructus, sed antiquioribus temporibus hoc fieri nondum poterat, cum Romani deos haud ferme ad humanum modum cogitatione informabant. Intellegebatur igitur tunc deus, qui mutonis actibus praesideret, eius potissimum mutonis i. e. pali, quo primitus mala averruncandi causa novae nuptae devirginatae esse videntur²⁾. Sed mittamus prisca tempora. Vocabulum appellativum ‚mut(t)o‘, cum Lucilii aetate in usu fuisset,

¹⁾ Iam Salmasius, Plin. Exerc. p. 219b, nomen dei a Graeco vocabulo *μυτιός* (Hesych. s. v. *μυτιός· ἐννεός· καὶ τὸ γυναικείον*) derivaverat, quod a Latino quod est ‚muto‘ alienum non esse videtur (cf. A. Sonny, Arch. f. lat. Lex. X 1898 p. 382 s.); duas vocabuli Graeci notiones in Latino quoque sermone exstare F. Holthausen, Zeitschr. f. vergl. Sprachforsch. XLVI 1914 p. 178 s., ostendit, cum vocabula ‚mutus‘ et ‚muto‘ (‚Stummel‘) inter se cognata esse doceret. Mytonem tamen, Mytilenarum urbis eponymum, quem iam Th. Panofka, Terracotten des Kgl. Museums zu Berlin, Berol. 1842 p. 106, et postea Usener, Götternamen p. 327 s. (cf. Gruppe, Griech. Myth. p. 853 n. 6), cum Mutino comparaverunt, ab his vocabulis seiungas suadeo.

²⁾ Videtur igitur ex hoc ritu deus ortus esse velut Pilumnus ex pili usu sollemni (L. Deubner, Neue Jahrb. XIV 1911 p. 332 ss.; cf. nunc Chantepie de la Saussaye, Lehrb. d. Religionsgesch.⁴ p. 431 ss. H. J. Rose, Journ. rom. stud. III 1913 p. 233 ss.; Rom. Quest. p. 78 s.); ipsum enim mutonem homines, cum numen quoddam ei inesse divinum paulatim animos induxissent (velut Termino), forma derivativa appellare potuisse non videntur: an Lucilius (p. 421 n. 2) vetustissimum usum vocabuli mutinus (= muto) servavit?

paulatim obsolevit¹⁾; in locum eius successit vocabulum ‚mutunium‘ non minus sordidum, quod I. p. Chr. n. saeculo crebrius dictum esse videmus²⁾. Homines igitur Romani cum dei Mutini nomen pronuntiarent, huius vocabuli admoniti facile eo deducebantur, ut suffixo corrupto ‚Mutunum‘ eum appellarent³⁾, praesertim cum exempla huius terminationis in deorum nominibus (velut Neptuni, Portuni) non deesse viderentur. Quo autem tempore novam hanc formam ortam esse putabimus? Antiquitus Romanos non ‚mutunium‘, sed ‚mutonium‘ dixisse et Lucilii v. 959⁴⁾ usu et vocabuli ratione demonstratur, quod ut ‚lenonius, fullonius‘ ab eo quod est ‚muto‘ derivatum, cum primo adiectivum fuisset, mox pro substantivo positum esse F. Marx ad illum versum Lucilii adnotavit. Primo autem p. Chr. n. saeculo o in u abierat,

1) Hoc vocabulum cum vivum esset Lucil. 307 usurpaverat, ab hoc Hor. sat. I 2, 68 sumpsisse iam veteres interpretes animadverterunt; postea is grammaticus, ad quem glossa cod. Leid. 191³ ap. G. Loewe, Prodr. p. 304 (muto priapus) redit, unus eo usus est. Tamen in gente Titia cognominis loco mansisse testes Q. Titius Mutto ‚homo sordidissimus‘ (Cic. pro Scauro 23. pro Fund. fr. 1) et T. Titius T. f. Mutto Aquileiensis (CIL V 1412. 8473, cf. Holder, Altkelt. Sprachschatz II 666); cf. Mentulam Catullianam. In vocabulo appellativo t littera plerumque geminabatur (sicut in vocabulo ‚littera‘), in cognomine semper, id quod erat expectandum (F. Sommer, Handb. der lat. Laut- u. Formenlehre^{2,3} p. 202 ss. Stolz-Leumann, Lat. Laut- u. Formenlehre p. 142s., cf. etiam Holthausen l. c. p. 179); in dei Mutini nomine non geminabatur, cum ictus in prima syllaba non esset: ‚muttonium‘ ex posteriorum temporum consuetudine nonnumquam in glossis Ps.-Philoxeni (p. 425 n. 4) scriptum videtur esse.

2) Mutunium CIL IV 1939 = CLE 231, 2. muthunium CIL IV 1940. mutunium πείος CGIL III 351, 46. mütuniatius Priap. 52, 10 (corr. Buecheler). Mart. III 73, 1 et XI 63, 2. In Priap. 72, 2 ‚mutinio‘ legitur, sed ‚mutunio‘ corrigendum videtur (cf. ‚mutiniatus‘ v. l. Priap. 52, 10), nisi forte quod in ‚pluribus‘ codicibus traditur ‚mutino‘ pro recto habere mavis. De correpta syllaba prima adiectivi cf. Usener, Götternamen p. 327. F. Marx, Molossische und bakcheische Wortformen, Lips. 1922 p. 31 s.

3) Hunc in modum novam formam ortam esse etiam Stolzius l. c. p. 169 videtur arbitratus esse.

4) CGIL II p. 131, 61 (p. 232 MU nr. 56 Laistner): muttonium προβασκανιον (i. e. προβασκήνιον) Δουνικήλιος (ex Festo? cf. G. Goetz, CGIL I p. 31. P. Wessner ibd. p. 366). CGIL II p. 131, 62 (nr. 57 L.): muttonius προβασκήνιον. Ibid. p. 132, 5 (nr. 64 L.): mutonium πρόσθεμα. Ibid. p. 132, 12 (nr. 71 L.): mutonium κυδώνιον. Cf. G. Loewe, Prodr. p. 302 ss.

vulgari videlicet illa pronuntiandi ratione, qua pro eo quod est ‚sobrius‘ ‚uber‘, pro ‚formosus‘ ‚formunsus‘ dicebant (Stolz l. c. Marx, Mol. und bakch. Wortformen p. 31 s.); quam pronuntiationem in Priapeis inveniri mirum non est, cum vocabulum ipsum ex trivio hos poetas arripuisse appareat. Iam vero Varronis temporibus vulgus u pro o pronuntiare coepisse quis est qui neget (F. Sommer, Handb. d. lat. Laut- u. Formenlehre²⁻³ p. 68)? Verisimillimum igitur est dei nominis novam formam, quae est ‚Mutunus‘, iam I. a. Chr. n. saeculo in usum venisse, ipsum autem Varronem deum vulgarem vulgari nomine appellasse vel potius utramque nominis formam exhibuisse.

Iam in posterius nomen inquiramus, cuius formam antiquissimam apud Festum exstare apertum est. Haec autem forma, quae est ‚Titinus‘, paulatim in eam formam depravata est, quae apud Lactantium legitur ‚Tutinus‘; quam ita natam esse A. Sonny, Arch. f. lat. Lex. X 1898 p. 383, intellexit, ut vocalis u, quae in prima syllaba nominis Mutini erat, eadem in primam alterius nominis irreperet, cum duo haec nomina pronuntiando plerumque inter se continuarentur; annominationem enim in sermone sacro multum valuisse suo iure nuper contendit H. Güntert, Von der Sprache der Götter und Geister, Hal. 1921 p. 68. In eo tamen haud minimum fuisse existimo momentum, quod hoc modo notione vocabuli quod est ‚tutus‘ oblata quid nomen significaret homines facilius intellegere posse sibi videbantur (cf. p. 430). Mox pro nativo suffixo -inus- non modo in nomen Mutini, sed etiam in nomen Tutini novum illud suffixum -unus- illatum esse quid mirum? Apparet igitur ab antiquissima forma, quae est ‚Titinus‘, proficisci debere si quis originem huius nominis explicare velit; falsa veriloquia, quae recentioribus formis nituntur, non iam curamus¹⁾. Ab antiquissima forma primus A. Sonny l. c. alique postea (F. Marx ad Lucil. v. 78; G. Wissowa, Ges. Abhandl. p. 325 n. 1; al.) explicationem nominis reppererunt F. Buechelerum secuti, qui antea Arch. f. lat. Lex. II 1885 p. 118 ss. et 508 vocabulo ‚titus‘, quod genus aliquod

¹⁾ Pleraque Peter col. 205 s. enumeravit. Nihil Titino fuit cum Tutano, quem Usener, Kleine Schriften IV p. 16 not. (cf. P. Sarasin, Helios und Keraunos, Aenop. 1924 p. 39) et Götternamen p. 327 (ante eum iam J. A. Hartung, Die Religion der Römer, Erl. 1836 II p. 258), eundem fuisse putavit, cf. Weinreich l. c. Cf. etiam p. 430 n. 1.

columbarum agrestium significat¹⁾, simili modo atque vocabulo turturis notionem phalli subiectam esse testimonio veteris scholiastae ad Pers. 1, 20²⁾ demonstraverat. Atqui hanc significationem obscaenam tam antiquam tamque frequentem fuisse, ut priscus deus inde nomen acciperet, quis est qui credat? Neque enim verum est, quod G. Kaibel, GGN 1901 p. 490 ss., aliique eo auctore contenderunt radicem tit- iam inde ab omni antiquitate phallicam notionem habuisse. Titanas quidem, quorum in nomine hanc vim inesse Kaibelius putavit, ithyphallicos antiquitus fuisse M. Pohlenz, Neue Jahrb. XIX 1916 p. 578 ss., suo iure negavit (item K. Bapp ap. Rosch. s. v. Titanen col. 990); fuerunt sane, qui priscos hos deos inter *θεοὺς πριαπώδεις* referrent (Phot. et Suid. s. v. *Τιᾶνας βοᾶν*), fuerunt, qui *τιᾶνα* traderent *παιδεραστήν* vocari (Hesych. s. v. *τιᾶν*) sive *κίναιδον καὶ πειώλην* (Eustath. E 279 p. 985, 51), sed ioco hoc nomen ita usurpari ipse Eustathius l. c. diserte dixit aliisque locis (A 370 p. 849, 55 et θ 335 p. 1597, 29) ab verbo *τιτάνειν* in turpem sensum detorto (= *ἐντείνειν* sc. *τὸ αἰδοῖον*) hoc nomen derivari significavit: comici igitur poetae ludum, qui vetere illa etymologia obscaene abusus esset, grammaticorum illis locis subesse Pohlenz rectissime p. 580 s. exposuit (cf. A. Meineke, FCG I p. 100 s. 411. F. Solmsen, Idg. Forsch. XXX 1912 p. 37 not. Bapp l. c.). Veram autem nominis Titanum originem nuper A. Nehring, Glotta XIV 1925 p. 153 ss., ab Asiae (minoris) incolis antiquissimis repetivit³⁾ eorundemque sermoni cetera

¹⁾ Ad ea, quae Buechelerus conguessit (cf. A. W. Thompson, Class. Phil. XIII 1918 p. 21 s.) adde haec: titus (Polem. Silv. Laterc. [Chron. min. I] p. 543, 26 M.). titos palumbes (Lib. gloss. p. 564 nr. 231 ed. Brit. ex Isidor. etym. XII 7, 62). teta (Serv. Verg. ecl. 1, 57), cf. Walde, Etym. Wörterbuch² s. v. ticio (Not. Tir. 102, 12), inde ticiunculus (ibid. 102, 12 a). titiunglus (Polem. Silv. Laterc. p. 543, 26 M.) i. e. titiunculus (M. Niedermann, Idg. Forsch. XXVI 1909 p. 56 n. 1). G. Goetz in Thes. gloss. emend. confert ‚pipio, pipiunculus‘, cf. imprimis CGIL II 347, 12 cum IV 377, 18 (W. M. Lindsay, Class. Phil. XIII 1918 p. 8).

²⁾ ‚Ingentes Titos dicit Romanos senatores aut a Tito Tatio rege Sabinorum aut certe a membri virilis magnitudine dicti titi.‘ Lyd. de mag. I 19 priorem explicationem Persio ipsi tribuit, alteram omittit. Cf. Riv. fil. XL 1912 p. 36. 202.

³⁾ P. Kretschmer, Glotta XIV 1925 p. 309 s., nomen Titanum ‚protindogermanicum‘ habet, i. e. linguae eorum Iudogermanorum adscribit, qui ante Graecos in Graeciam Asiamque immigraverunt priscorumque incolarum sermoni multa de suo immiscuerunt.

nomina, quae Kaibelius allegaverat, tribuit *Τίτιος*, *Τιτνός*, *Τίτυροι*, item nomina Etrusca, inter quae principem locum praenomen Titus tenet¹⁾. Vocabulum autem *τιτίς*, quod Phot. s. v. et aviculam parvam et membrum sive virile sive muliebri significare dicit²⁾, cum his nominibus coniungendum non est, quippe quod aviculae voce imitanda formatum esse appareat sicut vocabula titiare, *τιτίζειν* (cf. pipare, *πιπίζειν*), *τιπ(τ)υβίζειν*, ipsum denique nomen columbae agrestis ‚titus‘; avicularum autem haec nomina postea ut alia complura in obscaenum sensum abierunt (Nehring p. 155 ss. 168 s.)³⁾. Igitur phallicam vim cum in vocabulis titus et *τιτίς* non antiquitus, in illis autem nominibus numquam fuisse concedendum sit, ne Titini quidem in nomine fuisse apparet, falsique sunt ii viri docti, qui Panda Cela aliisque huius generis numinibus comparatis duplici nomine Mutini Titini contrarias partes provinciae eius comprehendendi et utriusque sexus naturam significari putaverunt⁴⁾.

¹⁾ Refutavit autem Solmsenii sententiam (Idg. Forsch. XXX 1912 p. 32 ss. cf. 10), qui partim priores viros doctos secutus Tityi, Tityrorum, Titi, Titiae, ipsius denique ut videtur ‚Tituni‘ nomina a radice tu (‚schwellen‘) reduplicata esse putaverat, cf. A. B. Cook, Zeus I 1914 p. 655 s. n. 2. Titini quidem nomen ab hac radice derivari vel propterea non potest, quod vocalis u postea ut dixi in secundam syllabam illata est; formam autem ‚Titanus‘ umquam fuisse nego.

²⁾ Phot. s. v. *τιτίς βραχὲ δρνιδιον σημαίνει καὶ τὸ γυναικειὸν αἰδοῖον τιτίς γὰρ ἡ κέρκος*. Cf. Ael. Dionys. fr. 87 Schw.

³⁾ Praenomen Titus, quod A. Zimmermann, Mus. Rhen. L 1895 p. 159 s., Arch. f. lat. Lex. IX 1896 p. 592, Zeitschr. f. vergl. Sprachforsch. L 1922 p. 148 s., atque M. Niedermann, Idg. Forsch. XXVI 1909 p. 55 ss., columbae impositum esse putaverunt, Nehring p. 156 recte a nomine columbae seiunxit atque hanc a vocis sonitu appellatam esse docuit (item iam Buecheler l. c. p. 118 s.; cf. P. Wessner CGIL I p. 342); potuit in huius rei argumentum etiam formam ‚teta‘ (p. 427 n. 1) vertere. Quod vero phallum quoque proprio vocabulo primitus designatum esse non negavit (p. 156 s.), tria vocabula a principio inter se diversa exstitisse haud ita verisimile puto. Ceterum vocabulum obscaenum *τίτιος* in Graecorum sermone non fuit; apud Hesych. enim s. v. *Ἰλδῶν* iniuria Kaibelium hoc vocabulum in verba scriptoris inculcasse in diss. mea p. 56 s. exposui. Saltationem, cui nomen fuit Titius, a Sex. Titio denominatam esse quid est cur Ciceroni Brut. 225 diffidamus explicanti (cf. Sonny l. c. p. 383 not.)?

⁴⁾ Ceterum ut vocabulum titus obscaenam notionem antiquitus habuisse fingam, quomodo nominis Mutini notioni contraria esse potuit haec radix, quam ipsam quoque plerumque membrum virile, non muliebri significare videmus? Quid quod E. Lattes, Atene e Roma V

Recta nominis Titini explicatio alia via assequenda est, atque ea quidem, quam feliciter in nominibus multorum huius generis deorum explicandis Schulzii vestigia secutus W. F. Otto, Mus. Rhen. LXIV 1909 p. 449 ss., ingressus est (cf. Wissowa, Rel.² p. 33. E. Bickel, Der altrömische Gottesbegriff, Lips. 1921 p. 56 ss.). Is enim demonstravit e numero eorum deorum minorum, quos Varro XIV. libro antiquitatum divinarum tractavit, multos olim deos gentilicios fuisse, postea a pontificibus in indigitamenta receptos ab illo denique ‚viro Romanorum eruditissimo‘ quibusvis nominum veriloquiis nisi in numero deorum ‚certorum‘ relatos esse. Reputantibus igitur exempla ab Ottone collecta — quorum maxime ad nostram rem faciunt Sentinus, deus Sentiorum vel Sentiniorum, Hostilina, dea Hostiorum (Otto p. 454), Potina, dea Potinorum vel Potiniorum, Statilinus, deus Statiliorum (p. 455), Rusina, dea Rusiorum vel Rusiniorum (p. 456) — dubium esse non potest, quin Titinus deus Titiorum (sive Titiniorum) fuerit. Ceterum gentem aliquam in sacello illo Veliensi sacra Mutini Titini procurasse iam H. Jordan, Topographie II p. 257, opinatus est. Mutinus igitur, quia praecipua veneratione a Titiis colebatur, eodem modo ab his cognomen videtur traxisse quo Minerva Matusia a Matusiis (Schulze, Lat. Eigenamen p. 200) vel Ianus Curiatius a Curiatiis (Otto p. 450) vel Lares Hostilii ab Hostiliis (Otto, Arch. f. lat. Lex. XV 1908 p. 120. Wiener Stud. XXXIV 1912 p. 321 s.). Haud perperam tamen fortasse iudicabimus, si Titinum, deum Titiorum, primo sui iuris fuisse, postea cum Mutino quasi cohaesisse statuemus, id quod nescio an inde colligi possit, quod scriptores ecclesiastici aut haec duo nomina quasi diversorum deorum disiungunt¹⁾ aut alterutrum solum proponunt. Quodsi talium deorum gentiliciorum cultum ex mortuorum veneratione ortum esse cum Bickelio p. 60 ss. suspicamur, hunc deum fecunditatis auctorem in numero eorum fuisse mirum non est. Sed utut haec res sese habet, Mutinus, quem a principio inter numina popularia fuisse certum est, satis antiquis

1902 col. 539 s. n. 1, item atque olim Salmasius rem ita invertit, ut priore nomine cum vocabulo Graeco *μυτιός* (p. 424 n. 1) comparato sexum muliebrem in Mutini Titini nomine rariore exemplo loco priorem esse confirmaret?

¹⁾ Cf. tamen Varr. sat. Men. 506 B.: Anna ac Peranna (Wissowa ap. PW s. v. col. 2224).

temporibus Titinus cognominatus est, ut duo nomina humano more habere videretur (cf. Otto, Wiener Stud. XXXIV 1912 p. 326). Temporis autem longinquitate alterum nomen ad gentem Titiorum pertinere prorsus obliti homines deum Tutinum vocare consueverunt; quodsi tutorem eum intellectum esse recte conieci, in eius rei testimonium hoc nomen afferri potest falsas deorum gentiliciorum nominum etymologias non omnes a Varrone excogitatas, sed partim ex communi opinione sumptas esse, id quod Bickel p. 56 ss. (cf. PhW 1921 col. 838 n. 3) confirmavit, Wissowa, Herm. LVI 1921 p. 122 s., non prorsus negavit¹⁾. Apud Varronem autem hic deus vere phallicus cum aliis eiusdem generis numinibus congregatus erat, quae non omnia a principio officiis nuptialibus functa erant velut Prema et Subigus, qui ab ipso vulgo ad rem veneream relati esse videntur (Wissowa, Ges. Abh. p. 319. Herm. l. c. p. 124. Bickel l. c. p. 34. PhW 1921 col. 834 not.).

Iam videmus Carolum Lenormant eosque qui ad eius sententiam accesserunt²⁾ verum fortasse invenisse, cum Mutinum Titinum effictum esse crederent in denario a Q. Titio anno 90 fere a. Chr. n. percusso et a Traiano restituto: at enim effingebatur non ut suo nomine simile nomen eius gentis designaret (comme type parlant³⁾), sed ex ea videlicet causa, quod proprius eius deus fuit. In hoc autem denario,

¹⁾ Infeliciter accidit, quod Varronis etymologiam testes ipsam non afferunt; sed cum deum Tutinum sive Tutunum eum vocasse certum sit, unde huius nominis veriloquium eum petivisse putamus nisi a verbo tuendi? Quam facile autem hominibus huius verbi in mentem venerit, inde poteris intellegere, quod non modo nostra aetate hanc vim in Tutini nomine inesse multi sibi persuaserunt, sed etiam antiquis temporibus Titanas Tutanos esse interpretabantur Commodiano Instr. I 20, 1 teste (iocum tamen scriptoris esse arbitratur P. L. Cicero, Riv. fil. XLII 1914 p. 576). Cf. Paul. ex Festo s. v. tituli.

²⁾ Ch. Lenormant, Rev. num. 1838 p. 11 s. et Nouvelle galerie mythologique p. 6. Secuti eum sunt A. de Longpérier, Rev. num. 1839 p. 178 ss. (= Œuvres ed. G. Schlumberger vol. II Par. 1883 p. 15 ss.) aliique multi, imprimis catalogorum scriptores (p. 431 n. 1). De coniecturis priorum cf. Eckhel, Doctr. num. vet. V p. 325. H. Cohen, Monnaies de la république rom. communément appelées médailles consulaires, Paris 1857 p. 314. Duc de Blacas, Hist. de la monnaie romaine par Th. Mommsen II Par. 1870 p. 411 s. n. 2. De capitibus illis marmoreis ad Iani formam inter se coniunctis, quae Longpérier p. 182 s. (19) Bacchi imberbis et Mutini Titini esse arbitratur, cum imago praesto mihi non sit, *ἐπέχω*.

cuius haud pauca exempla servata sunt¹⁾, pulcrum eius caput conspicitur bene capillatum, diadematum, alatum, barba in acutum desinente insigne, omnino ad Bacchi similitudinem expressum. Hunc igitur deum hac imagine repraesentari C. Cavedoni, *Ann. dell' Inst.* XI 1839 p. 316 s. (cf. E. de Chanot, *Gaz. arch.* I 1875 p. 110 ss.), putavit, praesertim cum eundem imberbem a Q. Titio in alio denario (Babelon nr. 2. Grueber nr. 2225/8) effictum esse videret. Melius tamen Lenormant hoc caput cum capite Priapi a Lampsacenis nummis impresso comparaverat, quem deum illi, cum Bacchi filium haberent, patris simillimum facere consueverant. Differunt sane non-nihil deus Q. Titii et Priapus Lampsacenus cum aliis rebus tum alis, quas illi ut aliis numinibus phallicis Titius addidit, differt etiam Pegasi imago, qua utriusque nummi pars aversa ornata est: tanta igitur similitudo non est, ut denarius Titii ex tetradrachmis Lampsacenorū expressus esse videatur; attamen necessitudinem quandam inter hos nummos intercedere haud facile negaveris, praesertim cum utraque pars utriusque respondeat. Quid si Titius ille suae gentis deum a Priapo haud diversum esse credidit? Varronem certe Mutinum Titinum eundem habuisse atque Priapum Augustinus (cf. imprimis test. 2 e) testis est; at ipsius hoc fuit commentum vel paucorum hominum: populi universi hanc opinionem fuisse statui non potest. Varronis enim aetate nomen Mutini Titini in ore vulgi esse adeo non desierat, ut eius forma vulgari pronuntiatione aliquantum mutaretur; hoc ipso autem argumento probatur hunc deum paulatim ad humiliores vel rusticos descendisse: in urbe Augusti temporibus sacellum eius adeo fuit desertum, ut aris sublatis balnearia de eo facerent idque ea aetate, qua veteres religiones reviviscerent atque templa vetusta restituerentur (cf. A. D. Nock, *Class. Rev.* XXXIX 1925 p. 60 ss.). Priapus igitur deus eius simillimus, cum animos hominum non modo infimorum, sed clarorum nobiliumque tunc teneret, tamen in sacellum veteris dei non penetravit²⁾ neque cultu confuso pristinam illi religionem

¹⁾ Cf. imprimis E. Babelon, *Monnaies de la république romaine* II. Par. 1886 p. 489 s. nr. 1. H. A. Grueber, *Coins of the roman republic in the British Museum*, Lond. 1910, vol. I nr. 2220—24 tab. XXXVI 1.

²⁾ Vides, quam temere Maggi in edit. Priap. p. 25 sacellum Priapi quo Priap. 21 pertinere putat, idem esse atque vetustissimum illud Mutini sacellum coniecirit. Ceterum iam F. Fiedler, *Antike erotische Bildwerke in Houbens röm. Antiquarium*, Castr. Vet. 1839 p. 13 s. Mutinum a Priapo summotum esse intellexerat.

restituit. Aliis tamen locis etiamtum cultum Mutini Titini durasse Festus i. e. Verrius Flaccus testari videtur, cum ad id tempus eum coli tempore praesenti significat; quamdiu vero permanserit ignoramus. Fuerit sane apud rusticos consuetudinis tenacissimos etiam posterioribus saeculis in aliquo numero atque honore: Priapum qui adorabant, Mutinum non curabant. Patres vero ecclesiae ex Varronis libris umbram excitasse videntur; vivos cultus qui impugnabant, iis illa aetate non cum Mutino, sed cum Priapo res fuit.

Bonnae.

Hans Herter.